

PARS TERTIA

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

SECTIO I.

DE CAUSIS CLERICORUM CRIMINALIBUS

TITULUS I.

DE FORMIS IUDICIORUM IN GENERE.

Iesus Christus est Iudex mortuorum et viventium: « Neque Pater iudicat quemquam sed omne iudicium dedit Filio » (Ioan. v, 22). Clerici una cum laicis postremo die iudicandi erunt, nulla exceptione facta personarum. Interim utrique humano subiiciuntur iudicio, potestati ecclesiasticae clerici, et in spiritualibus ceteri etiam fideles. Ecclesia autem suprema auctoritate, tum legislativa, tum iudiciali, etiam in foro contentioso gaudet; uti supra dictum est, ubi de Ecclesiae a Christo institutione agebatur.

Praeclara sunt verba, quibus Apostolus submissionem commendat: « Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » (Hebr. XIII, 17). « Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam » (Rom. XIII, 6).

Sane, Christus qui Apostolos non servos sed amicos peramanter dicebat, cum dissensio de praelatura facta esset inter ipsos, ait: « Reges gentium dominantur

eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator. » (Luc. xxii, 25). Hoc autem fecit ad evellendam radicibus naturalem illam, super alios se extolendi ambitionem, de qua Petrus loquitur dicens: « Neque ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo. » (1^a S. Petr. v, 3). Verum ipse mitissimus Iesus, qui caritatis praeceptum ad apicem perfectionis evexit, reum iudicii declarat eum qui irascitur fratri suo; et de lege condenda, circa correctionem fraternam curavit, regulam in ea procedendi decernens: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: Amen dico vobis; quaecumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. » (Matth. xviii, 15, 16, 17, 18). Hinc regula, eaque duplex, in causis criminalibus procedendi: extra iudicialis altera, altera vero iudicialis. Hinc etiam ligandi atque solvendi potestas, Ecclesiae a Christo Domino collata. Hinc demum, coercendi facultas, per iudiciale sententiam exercenda, iudici ecclesiastico tradita.

Procul dubio apparet, Ecclesiam, cui ex ordinatione divina denuntianda sunt facta criminoso, non esse coetum fidelium in genere, sed Apostolos eorumque successores, quibus Salvator ipse, in extremo iudicio, duodecim sedes, ad duodecim tribus Israël iudicandas promisit.

Episcopus ergo, ex institutione divina, populi sibi commissi iudex est. Profecto Romanus Pontifex hac iudicandi potestate plenissime gaudet, ipse habet claves a Christo Domino traditas Petro, ipse Pastor est agnorum et etiam ovium: sicut Romanus Pontifex pro tota Ecclesia, ita, in sua quisque dioecesi, Episcopus iudex est ordinarius; ita tamen ut ab eius sententia valeat appellatio ad S. Sedem, et in casibus a iure definitis ad Metropolitanam vel ad Episcopum viciniorem iuxta privilegia Americae nostrae concessa.

Attamen cum Episcopo haec iudicandi potestas in aedificationem, non vero in destructionem sit concessa, ipse induat oportet viscera misericordiae, ut condolere possit iis qui ignorant et errant, memor semper illius tenerrimi Cordis Iesu, qui adulterae a Scribis et Pharisaeis accusatae, veniam miserans et benignus est largitus, illam a confusione liberans, eique pacem reddens. Ideo Episcopus, iudicis officio fungens, meminerit se ad clementiam potius quam ad nimiam severitatem inclinari debere; prae oculis semper habeat, quod si terribile iudicium iis qui praesunt est reservatum, iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam paratur. Caveat tamen, ne funestissimo Heli insistens exemplo, lenitate nimia, munera sua negligat, vitiis indulgeat, et scandala invalescere sinat, maximo cum animarum detrimento et S. Ecclesiae dedecore.

Spiritus Sanctus quidem posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ideo baculus pastoralis in consecratione Praesuli traditur, auctoritatis scilicet et disciplinae insigne, sustentaculum humanae imbecillitatis, ut in coercendis vitiis, pie saeviens, iudicium sine ira teneat; ut revocet errantes, iustos regat, ignaros et inertes pungat

et stimulet; ut incredulos ad fidem convertat, conversos averti non patiat; ut oves suas a venenosis pascuis divertat, easque, vitae etiam periculo, ex irruentium luporum faucibus eripiat, donec ad pascua aeterna eas perducatur, ad semper virentia et amoena loca Paradisi.

Ad tanti muneris officia explenda, summa ei vigilantia, zelo indefesso, iugi mansuetudine, inflexibili firmitate et exquisita prudentia opus est. Cum autem in exercitio sui ministerii, eis praecipue qui pupilla sunt oculi Dei, et Ecclesiae ornamentum, aurum sanctuarii et sal terrae nuncupantur, maxima cura ac diligentia invigilare debeat: ipsi omnino necessaria sunt forensium tramitum non vulgaris notitia et stricta observantia, ut neminem, nisi iudicatum, damnet; ne puniat insontes, dum reos impune invalescere sinit, aut anilibus rumoribus aures praebat, ansam praebens calumniis et falsis denuntiationibus, quae hisce praesertim temporibus frequentiores fiunt.

Quod ad modum procedendi attinet, iuxta principia superius enuntiata, consideratis temporis praesentis et huius regionis particularibus adiunctis, ad servandam uniformitatem in Dioecesibus huius novae Provinciae Antequerensis, visum est nobis, circa iudicia in causis criminalibus clericorum, decernere sequentia:

I. — Episcopi novarum Dioecesium quam primum curiam ecclesiasticam iuxta formam canonicam instituant, designando Provisorem, Promotorem Fiscalem, Notarium et Cancellarium.

II. — Ubi ratione habita circumstantiarum possibile et conveniens fuerit servare formam iudiciorum solemnem, ibi servetur.

III. — In praesenti vero rerum conditione, cum ecclesiasticae auctoritatis exercitium in pluribus propter

leges actuales et morum corruptionem restringatur, convenit formam potius oeconomicam in iudiciis adhibere.

IV. — Verum adiuncta aliquando neque hac forma oeconomica uti permittunt, ne scilicet peiora sequantur, exsurgant scandala, etc.; ideoque secreto uti opus est. Tunc recurrendum est ad sententiam Episcopi ex informata conscientia, prouti in Concilio Tridentino stabilitum fuit.

V. — Cum finis iudiciorum sit correctio rei et criminis extirpatio, publica vindicta exigit, sententia iudiciali delinquentem compelli ut resipiscat; quoties prudenti monitione aut paterno consilio, id assequi detur ad extraiudicialem formam monitionum et praecceptorum est recurrendum.

De quadruplici hoc procedendi modo.

TITULUS II.

DE FORMA IUDICIORUM SOLEMNI.

In forma iudiciorum solemni standum est regulis a iure communi praescriptis, salvis privilegiis in Concilio Mexicano III consignatis et ceteris deinceps a Sancta Sede concessis.

TITULUS III.

DE FORMA IUDICIORUM OECONOMICA.

Forma oeconomica iudiciorum est illa, in qua, servatis iudiciorum tramitibus essentialibus, ritus solemnes praetermittuntur, et est duplex: extraiudicialis altera, altera vero iudicialis. (Appendic. num. 1).

*De forma extraiudiciali.*A) — *De privatis monitionibus.*

Fatendum est quidem, tramitum forensium praetermissionem, non solum a spiritu Ecclesiae abhorre, verum etiam magnas molestias et odia Antistiti afferre, qui iuxta Benedictum XIV (De Synodo dioecesano L. II, c. 7 § 6) « ita se gerere debet, ut populorum, quorum amor ad munus suum utiliter gerendum maxime necessarius est, animos a se abalienare sibi que molestias et offensiones parare minime velle videatur ».

Sed pariter certum est, secundum eundem sapientissimum Pontificem (De Synodo dioecesana 15, c. III, § 7) prudentis esse Praelati, in iis ad quae superiori lege non adigitur, se loco et tempori accomodare, et quaedam quae olim in usu erant, praetermittere, sicuti ad rectum suae dioecesis regimen magis expedire in Domino iudicaverit. Quapropter, cum in praesenti fas minime sit Ecclesiae, convenienti pompa et solemnitate, forenses functiones explere, sapientissimis observatis processus ordinarii ritibus, iamdiu a iure praestitutis; neque e contrario conveniens foret, Praelatum ad irrogationem poenae procedere ex eo solum quod ipsi de crimine constat; attenta etiam SS. D. N. Leonis XIII dispensatione super iisdem apicibus iuris, in casu necessitatis, expressa in Instructione oeconomice procedendi in causis disciplinariis et criminalibus clericorum (diei 11 Iunii 1880) statuimus, ut norma in ea contenta servetur, attentis praesentibus adiunctis, in hac Provincia.

I. — Itaque quoties rumor aut querela super aliquo abuso aut delicto a clerico commisso ad aures Episcopi pervenerit, tenetur ipse diligenter inquirere, num reapse talis abusus aut huiusmodi delictum existat, et cuius sit natura ac gravitatis ut prudenter iudicare possit, qua correptione, et quibus mediis utraque obtinenda.

II. — Inquisitio haec generalis aut specialis erit, prout abusus vel delictum, sine delinquentis nomine ad ipsum fuerit delatum, vel utrumque simul, delictum scilicet et delinquens. Hanc inquisitionem instituere potest Episcopus, vel per se vel per alium virum ecclesiasticum, ad id muneris deputatum.

III. — Ubi testes examinandi erunt, id secreto et singillatim fiat, eorumque depositiones necnon informationes aliaeque huius generis probationes scripto mandentur, et in Curia serventur, ut cum opus fuerit, ad ulteriora procedere possit iudex, aut plena totius rei notitia ad superiorem deferatur, in casu legitimi recursus.

IV. — Peracta inquisitione, noverit, utrum probationes allatae, aut saltem apparentia indicia talis ponderis sint, ut ad ulterius progrediendum contra inquisitum adigant, quo in casu, non statim ad iudicalem processum transeat, sed extraiudicialiter, media adhibeat praeventiva, quae, ut plurimum, praecipua sunt: exercitia spiritualia, monitiones, praeceptum.

V. — Ad se igitur inquisitum arcessat; accusationes quae contra ipsum exstant ei manifestet, celatis tamen denuntiantis nomine et habitae notitiae origine; paterno amore eum corripiat et moneat ut resipiscere velit. Poterit adhuc, si velit, per epistolam vel per interpositam personam praedictas monitiones

facere, ab omni terrifica poenae comminatione abstinendo.

VI. — Si inquisitus accedat, et vel accusationis vim destruxerit, vel ea admissa ad meliorem frugem se recipere, et ad vitanda mala, damna resarcienda et reparanda scandala se paratum ostenderit, nihil ultra agendum. Si vero inquisitus comparere renuat, vel semel adstans monitiones paternas spernat ac obedire recuset, Episcopus monitiones canonicas adhibeat, formas legales stricte servando. Monitiones hae trinae fiant, sex dierum spatio explendae, hoc est, biduo inter unam et alteram intercedente, ita tamen, ut de executione in actis constet.

VII. — Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius iubeat per Curiam delinquenti analogum praeceptum denunciari, et in hoc explicetur quid delinquens facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurret.

Actus iniunctionis praecepti, signari debet a partibus praesentibus, et ab ipso etiam delincente, si velit. Vicarius Generalis iusiurandum testibus imponere potest, de secreto servando, quoties naturam rei, de qua agitur, id exigere prudenter iudicaverit. Si vero accusatus praeceptum violaverit, relicta extraiudiciali via, ad processum iudicalem devenire oportet.

B) — *De sententiis ex informata conscientia.*

Praeter modum extraiudicialem hucusque expositum, iuxta quem remediis praeventivis uti licet, alius est procedendi modus, etiam extraiudicialis, dictus ex informata conscientia, ad remedia repressiva seu poe-

nalia applicanda pro occultis reatibus et in quibusdam extraordinariis adiunctis.

Ut debita prudentia in negotio tam gravi procedatur, nobis in Domino congregatis, nihil aptius videtur, quam normam adoptare, quam S. Cong. de Prop. Fide dedit die 20 Oct. 1884.

INSTRUCTIO Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ad Episcopos et Praelatos Regulares catholicarum Missionum supra suspensionibus, quae irrogantur ex informata conscientia.

Omni tempore sollicita fuit Ecclesia, ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi, suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum, quaeque prodere non expediret, facilis et prompta, nempe a iudicialibus formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem, et fidelium utilitatem tuendam; hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres (Sess. XIV, c. 1, De reform.) decreverunt: « Ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis, fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur. »

Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad clericorum crimina, quae extraiudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis; quae nempe audit suspensio *ex informata conscientia*. Ad

hoc itaque ut in eadem infligenda, cum maiori qua potest cautela et securitate Ordinarii catholicarum missionum procedant, S. Congregatio de Propaganda Fide praesentem instructionem edendam censuit, cui iidem Ordinarii in adhibendo hoc extraordinario remedio, sese conformare curabunt.

I. — Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa, quae per iudicalem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicat.

II. — In hoc praecipua ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens simplici utatur praeepto, quo declaret, se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum, vel ecclesiasticorum munerum indicere.

III. — Huiusmodi praeeptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimentum est, quod eiusmodi punitio irrogatur vi Tridentini decreti (Sess. XIV, c. 1, De reform.) ex informata conscientia vel ex causis ipsi Ordinario notis.

IV. — Debent insuper exprimi partes exercitii ordinis et officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut, puta Oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provo-

care poterit apud Curiam archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

V. — Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc, ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

VI. — Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen seu culpa a suspensio commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitioem.

VII. — Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censi debeat notorium.

VIII. — Verum tenet etiam suspensio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

IX. — Prudenti arbitrio Praelatorum relinquatur suspensionis causam, seu ipsam culpam delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et caritatis eorundem erunt, ut si istiusmodi poenam suspensio manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

X. — Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur re-

cursor ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto colligantur, cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda procedatur, ita ut si deinceps causa examinanda sit apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

XI. — A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si propter appellationis interpositionem, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

XII. — Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem, et in casu quo, clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

XIII. — Ceterum cum istiusmodi poena sit remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudicialibus adhibetur; prae oculis habeant Praelati, id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV in suo tractatu de Synodo Dioecessana, libro XII, c. 8, n. 6; quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis animadversurum in cleri-

cos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

Romae ex Aed. S. C. de Propaganda fide die 22 Octobris 1884. (Appendix n. 2).

§ II.

De forma iudiciali.

I. — Hactenus dicta, sive ad inquisitionem pro notitia Curiae, sive ad modum procedendi, formae extraiudicialis tramites praescribunt; nunc vero de processu iudiciali agitur, in quo Episcopus, qui hucusque patris vices gerebat, iam iudicis personam agere debet, sive per se, sive per Provisorem, quatenus remedia praeventiva infructuosa evaserint.

II. — Cum criminaliter procedere oportet, sive infractionis praecepti aut criminum communium, vel Ecclesiae legum violationis causa, processus confici potest formis summaris et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

III. — Processus instruitur *ex officio* ad instantiam, querelam vel notitiam, a Curia quocumque modo habitam, et ad finem adducitur, adhibitis omnibus cautelis necessariis et opportunis ut detegatur veritas, i. e. tum delictum tum eius qui accusatus fuit, culpabilitas aut innocentia.

IV. — Processus *ex officio*, ne iudex motu proprio decernendo, iudicis et partis personam sustineat, instrui debent, instante et postulante Promotore. Sufficit ut Promotoris libellus, praeter nomen actoris, rei atque